RESPONSIO AD DOCTISSIMAS ET PRVDENTISSIMAS SACROSANCTAE CONGR. SACRORVM RITVVM OPPOSITIONES,

CONTRA PROCESSVM Fulminatum ſuper martyrio ducentorum Monachorum, qui in perſetione Arabica, apud Caradignam paſſi ſunt.

PER F. IO. DE PEDROSA Procuratorem Generalem Congregationis Sancti Benedicti Hiſpaniarum.

Sapientiam Sanctorum narrent populi.
Et laudem eorum nunciet Eccleſia, Eccleſ. 44.

RESPONSIO AD EA QVAE CONTRA

Processum Sanctorum ducentorum Martyrum monachorum Caradignæ opponuntur.

CVM honor qui Sanctis exhibetur, quędam fidei protestatio sit, iudicium Ecclesiæ in his discernendis errare minime potest, ipsa tamen Christi sponsa Ecclesia, quæ Spiritus Sancti instinctu regitur, de statu, sanctitate, & mar-

c. venerabili de testib. c. 2 de reliq. & ven. sanct. & martyrio Sanctorum, per inquisitionem, & testimonium hominum informari, & secundum allegata, & probata huiusmodi testimoniū ferre non dedignatur. Vnde de ordine huius sanctæ Sedis Apostolicæ, super martyrio Sanctorum ducentorum monachorum, qui sub Arabica persecutione suum pro Domino apud Caradignam sanguinem fuderunt, processus fulminatus fuit in sancta sacrorum rituum congregatione præsentatus. Et vt in re tam graui aperte, & dilucide procedatur, Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, quia veritas iuxta Bernardum magis lucet impugnata, sic contra prædictum processum opponunt.

Bern. serm. 99. de temp.

OPPOSITIO I.

Non probatur martyrium quod pro fi

de Christi fuerit susceptum, debent enim probari actus, seu verba occisorum, per quæ appareat, pro fide Christi suscepisse martyrium.

RESPONSIO.

Prima hæc & grauissima oppositio, latissimum nobis dicendi, si rethorice procedendum esset, demonstrabat campum, sed quia solum luci veritatis fenestram aperire nitimur, simplici & breui respondemus stylo.

Nihil ex Marte meo, esset enim nullius roboris vel momenti, sed quæ ex sacris accepi Doctoribus, & quæ in actis constant, in mediũ proferam.

Celeberrimũ est illud Cypriani & Augustini axioma, toties postea a Theologis decantatum, *Martyrem non facit pœna sed causa.* Si au- Aug. epist. 50 51. & 166.

 tem

tem petatur quæ, & qualis sit ista causa: quia nihil clarius, & distinctius dici potest, Angelici doctoris verba in medium proferam. *Cuiuslibet*, inquit, *martyrij causa, est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solum per verba, sed etiam per facta, quibus aliquis se habere fidem ostendit.* Et post pauca subdit: *Et ideo omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & pro eis remunerat: & secundum hoc possunt esse martyrij causa. Vnde Ioannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit.* hucusque sanctus Thomas. Cui doctrinæ & exemplo nisi breuitati studeremus, quamplurima ex alijs sa-

S. Tho. 22. q. 124. ar. 5.

cris Doctoribus accumulare, diffici le non erat, quid vero dicat Augustinus non prætermittam. *Multi, ait, mortui sunt, & martyres sunt, multi, & Prophetæ talia passi sunt, non tamen ideo moriebantur, quia pronunciabant Christum, sed quia peccata hominum dicebant in eos, & eorum iniquitatibus liberius resistebant: & habentur inter martyres: iuste enim si non pro nominis Christi confessione, tamen pro veritate occisi sunt.* Aug. ps. 140.

Ex hac igitur vera celebri, & ab omnibus recepta doctrina liquido constabit, Sanctos nostros martyres fuisse, si pro aliquo actu virtutis, quo se fidem habere Christianam ostenderunt, aut pro expressa fidei confessione illos occubuisse demõstremus. Et licet ad veritatem huius disiunctiuæ, alterum membrum verificare sufficeret. vtrumq; tamẽ in processu verificatam esse credimus. Si enim ex Hieronymo, *Flor* Hier. ep. 27.

quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum chorus est. Si Augustinus Manichæorum perfidiam impugnans, Apostolicam Monachorum vitam eis in exemplum proponit: quem locum explicans Laurent. Iustin. *Inter cetera,* inquit, *quæ gloriam Dei in terra prædicant, & Catholicam fidem infidelibus hominibus commendabilem reddunt, est socialis vita fidelium, eorum præcipue qui spreti perituri seculi luxu, abdicatisq; a se diuitiarum, honorum, & carnis illecebris, in Monasteriorum claustris, voluntariæ seruitutis, se perpetuo dedicauerunt voto.* Si etiam Monachis, vita sua, veram esse Christi promissionem, & vt verbis eiusdem vtar Augustini, esse aliam vitam, pro qua debet hæc contemni, & aliud regnum, pro quo oportet omnium terrenorum regnorum aduersitatem sapientissime sustineri, testifi-

Aug. cont. manich. cap. 34.

Laur. Iustin. lib. de obed. cap. 18.

August. cont. Faust. lib. 27. cap. 76.

ftificant. Et si iuxta doctrinam allegatam S. Tho. protestatio fidei exterior, nõ solũ fit per verba, sed, etiã per facta quibus aliquis se habere fidem ostendit. Et si quodcunq; bonum humanum, secundum quod in Deum refertur, potest esse causa martyrij: quis dubitabit monachismum, qui flos, & preciosissimus lapis est Ecclesiæ, qui maxime apud infideles Catholicam fidem commendat, cuius vita hæreticis in exẽplum proponitur, & est quasi testimonium legis, & perfectionis Euãgelicæ, quis, inquam, dubitabit nõ esse quandam protestationem fidei, & causam sufficientem martyrij? Profecto sancta & Catholica Ecclesia omnes Monachos à persecutoribus occisos, vt martyres veneratur. Sic celebrat natale sãcti Placidi, & sociorum eius, & martyriũ triginta Monachorum in monte

Syna,

Syna, & aliorum plurium Palestinæ, in Laura sancti Sabbæ: omnes isti à Sarracenis, sicut & martyres nostri occisi. Et in Gallia celebris est passio quingentorum Monachorum, ab eisdem Barbaris Galliã ingredientibus, nominis Christiani impugnandi gratia, & eam suo imperio subiugandi, vt in append. Bibliot. Sanct. Pat. habetur. Celebrat etiam festum trecentorum Monachorum, ab hæreticis, & nongentorum Monachorum, qui vna die, teste Bernardo, à Piratis occisi fuerunt, immo & natale sancti Aigulphi, & sociorum, qui à Pseudo christianis martyrizati sunt; eo solum, quia iusti erant, & perfectionem seruabant monasticam.

De his omnibus in Martyrologio Rom.

Bernard. in vita Malachiæ.

Et illa triumphans, & cælestis Hierusalem aliis innumerabilibus purpureis fortissimorum Monachorum decoratur palmis, quia quoties-

tiescumq; inuidiosissimus ille tenebrarum Princeps sceleris sui ministros ad agni sponsam Christi Ecclesiam perturbandam mouit, eosdem præcipuè in hanc fortissimam Monachorum arcem exarsit, & incendit. Hos Dei seruos & discipulos, teste Nazianzeno, & cælestium rerum contemplatores, has gregis domini primitias, has columnas, has fidei coronas Iulianus apostata, hos Valentis furor, hos Leonis Armenij rabies, hos impiissimus Constantinus Copronius, hos Abdalla, hos Vnericus, Balatius, Blemij, & nunc hæretica exosos habet perfidia, & tanquam infestissimos insectatur hostes, & tota in ordine Monastico delendo incumbit. Nec tyrãni isti, istas Dei mitissimas oues persequebantur, & persequuntur, quia credant materialibus armis sibi opponi posse, aut impedimento

Naziãz. orat. 1. in Iulian.

fore, quominus terram imperio suo subijcerent, aut ferro, & igne vastarent: experimento namq; didicerant, gentem esse humilem, & bonorum temporalium cõtemptricem, & ex ista Dauidica turre, super mõtem Sion fundata, non lanceas, & gladios pendere, sed solum clypeos, patientiam, scilicet, ad mortẽ sufferendam, hæc est enim omnis armatura fortium. Ideo tamen illos persequebantur, & vita priuabant, quia ferre non poterant tam apertum, & lucidissimum Christianæ fidei, & illius perfectionis testimonium. Sed iam ad alteram oppositionis partem accedamus, ex cuius responsione assumptum nostrum magis illucebit.

Cant. 4.

PRI-

PRIMAE OPPOSITIONIS Secunda Pars.

Qui actus seu quæ verba, & perseuerantia, neque etiam probatur per famam, nec Historiographi de illis aliquid dicunt.

RESPONSIO.

Acta plurimorum Martyrũ fuisse deperdita, & alia non fuisse decantata, grauissimi authores affirmant: quod præcipue in nostra accidit Hispania, quæ licet, quoties in Ecclesia gladius persecutoris efferuit, toties suas sanguine laureatas Domino obtulit primitias, plurimorum tamen nomina solum descripta sunt in libro vitæ, & aliorum ita oblitterata martyria, vt vix aliqua extet memoria. Vnde sanctus

Prudentius. gesta sanctorum Martyrum Emetherij,& Celedonij deperdita fuisse, versibus cantando, deplorat. Horum causa,& temporum iniuria, & bellorum continua tempestas, qua perlongissima tempora ipsa Bellonia Hispania afflicta fuit,& scriptorum penuria, extitit. Sed pijssimus Dominus mirabilis in Sanctis suis, licet cætera acta testium suorum istorum 200. Monachorum obtenebrari permiserit, suo tamen tempore reuelanda, testimonium vero quo de filio Dei testificati sunt, ita lucidissimũ reliquit, vt non nisi à negantibus lucem negari possit. Constat enim oues Christi qui perfectionem euãgelicam sequebantur, illos fuisse, & à Tyrãno qui nomen Christi persequebatur, occisos esse, & ob non negandum fidem gladio persecutoris occubuisse. Testificat hoc lapis ille

Vt in processu fulminato

ille antiquissimus magno, vt creditur, consilio & matura deliberatione positus, de cuius verborum intelligentia infra dicemus. Hoc etiam affirmat inscriptio illa, tot retro annis, in circuitu claustri delineata: quæ sanctos istos monachos & martyres appellat. Et firmissima sunt argumẽta ennũciationes illæ, Claustrum martyrum, Fons martyrum, quæ in antiquis probant. Et non ad rem parum facit claustri consecratio: antiquitus enim ecclesias, sine sanctorum martyrum reliquijs, non esse solitas consecrari, demonstrat Gregorius. Magnumq; pondus habet generalis, & antiqua totius Hispaniæ Chronica. Et validissimũ testimonium est, tot tantorumq; Historiographorum communis consensus, qui omnes assumptum nostrum, scilicet martyres fuisse indubitanter affirmant. Sed si de communi

c. Arianorũ, & facit c. nõ oportet de consec. dist. 1 & patet ex ordin. Rom. in consecrat. seruando.

muni agimus consensu, quid dicam de illo, quo ab omnibus, & vicinis, & remotis populis, isti sancti vt martyres venerantur? quid de antiqua traditione & fama, tot testium numero & omni exceptione maiorum comprobata? quid denique de illa veneratione, qua plures Hispaniarum Ecclesiæ, martyres istos coluerũt, & eorum natalitium festum diuinis officiis celebrarunt? Sed quid in hoc immoramur, cum habeamus testimoniũ Dei, quod maius est? qui celebri miraculo de testibus suis testificatus est, eodẽ nanque die quo ipsi suum pro Christo sanguinem fuderunt, singulis annis ab eorum preciosissima morte vsq; ad auorum nostrorum fere tempora, in loco vbi eorum sacra corpora dormiunt, pauimentum terræ sanguine rubricatum apparebat, martyrii euidentissimum signum, quod

omnem fugat dubitationem.

OPPOSITIO II.

Sed si solum quia illi monachi occisi fuerunt ab infidelibus, possent iudicari martyres sancti, pariter iudicandum esset, de omnibus illius prouinciæ qui ab eodem Rege infideli, fuerunt occisi.

RESPONSIO.

Solam sanguinis effusionem non sufficere ad martyrium, iam supra diximus, nisi procedat ex charitate & sit pro fidei confessione, aut veritate vel quocunque bono faciendo aut malo vitando propter Christū, totum enim hoc ad fidei protestationem pertinet, ex sancto Thoma. S.Th.vbi sup. ad 1.

Neque nos dicimus, quod ex hoc solū quod à Sarracenis occisi sunt,

martyres sunt,sed quia vt monachi occisi sunt,ideſt in odiũ legis Euãgelicæ,cuius perfectionem isti secũtur & profitentur. Deinde quia pro expressa fidei confessione mortem subierunt. Constat nanque passos fuisse sub atrocissima, quæ per tot annos rabiem suam exercuit,Arabica persecutione: in qua illud impijssimum à Miramolino fuit promulgatum edictum, sic a Lucio Marinæo Siculo descriptum. *Anno Christianæ salutis* 851. *cum Sarracenorum gentes Hispaniam fere totam occupassent,præceperunt vt qui Christianus esset, aut Christum Dei filium denegaret, aut gladio sectus occumberet.* Contra istum blasphemum edictum quod diuinitatem Christi Domini nostri negabat, fortissimi milites Christi se armarunt,& clypeo fidei protecti tela Tyranni non timebant. sed præcipue monachorum chorus cum esset

lib.5.de reb. Hisp. in passione SS.Nuil.& Alod.

set

ſet pars ſelectior, & ſapientior Ecclesiæ, vt dicit Nazianzenus, & vita illorum diuinior, vt dicit Chryſoſtomus, vexillum Domini contra Dæmonis exercitum eleuantes, ſigniferi Chriſtianorum ſe oſtenderunt. Vnde fortiſſimus Dei athleta & monachus Georgius, epiſtolam conſcripſit ad vniuerſos Chriſtianos in Hiſpania conſiſtentes, qua illos ad martyrium ſubeūdum roborauit: quam recitat ſanctus martyr Eulogius, hoc igitur prœlium ingreſſi, galeam ſalutis aſſumentes, lorica fidei induti, & clypeo patientiæ protecti, de Tyranno triumphantes, palmam martyrij obtinuerunt illuſtriſſimi Christi milites Pelagius, Georgius, Argimirus, Aurelius, Adulphus, Theodomirus, Sanctius, Eulogius, & non ſatis laudatus, miraculiſq; clariſſimus ſanctus re & nomine Victor & alij

Naz. in orat. de laud. Baſi. Chryſoſ. lib. 3. conuitu vitæ monaſt.

Eulog. lib. 2. c. 20.

innumeri quorum victorias Ecclesia recipit. Socij horum Sanctorum fuerunt prædicti Monachi nostri, nō impio edicto parentes, sed pœnam promulgatam subeuntes. Cumq; eis alteram partem eligere concederetur, aut Christum Dei filium negare, aut mortem subire: potius mortem, quæ ducit ad vitam, quam vitam quæ coniuncta erat morti, sapientissime elegerunt, vnde dicit Venero, quod posuerunt corpora sua ad martyrium, propter fidē Domini nostri Iesu Christi, & Tarapha quod fuerunt interfecti propter fidem Iesu Christi & Ambrosius de Morales, *Confortabat*, ait, *illos sanctus Abbas Sanctius, vt vitam funderent pro Iesu Christo in confeßione fidei Catholicæ: quod sic fecerunt, et omnes mortui sunt per manus Maurorum.* Idem alij quamplures Historiographi, qui res Hispaniæ texuerunt, affirmant

In processu fulminato ex eorum Historijs.

mant,dum incunctanter illos & mo nachos & martyres appellant.

Ex quibus patet, sit ne vera oppositionis sequela, non enim est idẽ iudicium de omnibus ab eodẽ Rege infideli interfectis, nisi eadem sit causa. Si enim se resq; suas & patriũ solum defendebant, aut non propter Christum, veritatem & iustitiã passi sunt, martyres non sunt. Si vero eadem militauit causa, idem erit iudicium : neque hoc est inconueniens, etiam si plures fuissent.

OPPOSITIO TERTIA.

Item numerus non potest dici certus quis enim numerauit fuisse ducentos mo nachos?

RESPONSIO.

Sæpissime in scripturis & com-

muni loquendi modo absolutum numerum ponimus in magnis supputationibus, absque veritatis corruptione, etiamsi aliquem numerũ exprima numeri simplicis specie, quam articulatẽ Mathematici appellare solent, addamus vel subtrahamus. *Mos est scripturæ vsitatissimus*, ait S. Hildefonsus, *minores numeros qui summam transcendere solent infra maiores includere*: & Augustinus disputans illam difficillimam quæstionem, quæ Theologorum ingenia exercere solet, quomodo concilientur loca illa Genesis decimo quinto. *Peregrinum erit semem tuum in terra non tua, & seruire facient illos quadringentis annis*, & illud Exodo duodecimo: *Habitatio autem filiorum Israel quã manserunt in Egypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, ait post multa:

Serm. 1. de purificat. Virg. Mariæ.

Aug. q. 47. super Exod.

Non

Non mirum est, si quadringentos, & quinque annos, summa solida, voluit appellare scriptura quadringentos: quæ solet tempora ita nuncupare, vt quod de summa perfectionis numeri paulùlum excrescit, aut infra est, non computentur. Et alibi: idem Augustinus super illud Genesis: *Erunt dies eorum centum viginti anni, Intelligendum est,* ait, *hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe,* idest, *quadringentos octoginta annos vitæ ageret; quos more suo scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans.* lib. 15. de Ciuit. c. 24.

Alijs exemplis nos hoc confirmare possumus. Dicitur enim Iudicum nono, quod Abimelech occidit septuaginta fratres suos, filios Ierobaal, & tamen huic nu-

mero defuit ipse crudelis fratricida, & frater minimus Ioatham, & sic solum sexaginta octo occidit fratres. Sed & Matthæus, & Marcus absolute dicunt, Christum in deserto ex illis quinque panibus & duobus piscibus quinque millia satiasse hominum, cum Ioannes & Lucas fere, vel quasi quinque millia fuisse, affirment. Et nos vere dicimus, vndecim millia Virginum passas fuisse cum sancta Vrsula, & decem millia martyrum cum sancto Zenone, & trecentos martyres Carthagine sub Valeriano, & ducentos Sinope in Ponto, licet numerus numeratus aliquas vnitates supra numerantem habeat, aut ab illo in aliquibus cadat. Et sic de numero nostrorum martyrum idem dici potest: tamen

Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 6. Luc. 9.

cre-

credimus, quod fideles Christiani qui dictos martyres sepulturæ tradiderunt, illos numerarunt, & sic certus & præcisus numerus fuit descriptus: sed vtcunquè sit non multum refert, ad alia transeamus.

OPPOSITIO Quarta.

Nec suffragatur assertio regis Alphonsi, & regis Henrici in priuilegijs, quia sunt verba aßertiua, & quia ad eosdem Reges non spectat iudicare de miraculis.

RESPONSIO.

Non spectare ad Principes sæcula-

culares de rebus fidei iudicare, neque discretio miraculorum ad eos pertinere, nulli dubium est Catholico. *Imperator namque*, ait Ambrosius, *nihil iuris habet in diuina*, absit enim, vt aliquid sentiamus in hoc cum Brentio, & Philippo, sed cum teste Plutarcho, Princeps caput sit reipublicæ, vni subiectus Deo, Reges in Regnis suis primum obtinent locum, non vt ciues sanctorum & domestici Dei & membra Ecclesiæ, sed vt ciues terrenæ ciuitatis & capita temporalis, & politicæ administrationis, quorum potestas à Deo est, qui constituit illos duces, & defensores Ecclesiæ, tenentes gladios in manibus, aduersus illam impugnantes & rebelles, *Dissipat enim*, ait Salomon, *impios Rex sapiens*, & ideo

Ambr. ep. 33

Plut. ad Traian.

Prou. 20.

ideo tenentur non concedere suis subditis libertatem credendi, sed dare operam, vt ea fides inuiolata seruetur, quam Principes Ecclesiastici docuerint esse tenendam: nec permittere aliquid noui, quod ad religionem spectet, absq; approbatione Prælatorum Ecclesiæ, immo etiam, vt decreta pro correctione morum promulgata debitum consequantur effectum: quia Principes, iuxta eundem Plutarchum, Plut. de doct. princ. ministri Dei sunt ad curam, & salutem hominum.

Vnde isti Catholici reges Alfonsus, & Henricus, sicut non deciderunt in priuilegijs suis, istos esse veros martyres, aut illud esse verum miraculum, quia hoc iuris sui non erat: ita illos non prætermisisse quod

mu-

muneris sui erat, indubitanter affirmandum est. Neque ignauos fuisse in cognoscendis quę apud se in proprio Regno agebantur, aut à subditis suis in re graui, & notoria fuisse deceptos: quinimo ea quæ referunt, sibi fuisse relata, verissima fuisse credimus, Neque Catholici Reges permisissent in subditis sibi regionibus aliquos, vt martyres venerari publice, nisi legitima probatio per ordinarium, & conuicinos Episcopos facta, & consensus illorum, post bene discussam caussam, accessisset.

OPPO-

OPPOSITIO
Quinta.

Et si miraculum fuisset verum, potuissent testes deponere de visu, & non per publicam famam.

RESPONSIO.

Multa miracula fieri solita apud Sanctorum sepulchra, iusto & occultissimo Dei iudicio iam cessasse, nō solum in libris legimus, sed etiam experimento didicimus. Et vt de aliis in exteris regionibus fieri solitis, taceamus, quæ in Italia celeberrima erant, proferamus. Mare in die natalis sancti Clementis per tria circiter miliaria cedebat, & marmoreum habitaculum, sub ipsis gurgitibus Angelicis fabricatum

ma-

manibus, in quo corpus eiusdem sancti Pontificis quieuit, aquis nudabatur,& fidelium deuotioni visitabilem se præbebat. Ex ossibus sancti Laurentij presbyteri Nouarræ medicus liquor manare consueuerat, sicut dici solet de oleo ex sepulchro sancti Andreæ Apostoli Amalphi, quæ miracula iam non videmus. Accidit idem de hoc celeberrimo, & admirabili signo ad sepulchra istorum Martyrum fieri solito, cessauit enim. Quæ fuerit causa, nisi dicam cum authore imperfecti apud Chrisost. super Matth. Homil. 19. quod, *in miraculis considerandum est, si sint necessaria secundum tempus, aut non necessaria. Si enim*, ait, *mirabilia Christus propter confirmationem infidelium faciebat, manifestū est, quia modo eum nullus, sit infidelis, facundorum miraculorum necessitas non est. &*
nisi

nisi cum Haymon. Marc. vlt. respõdeam, *Postquàm fidei Ecclesiæ creuit miracula cessarunt*, causam aliam nescio, Deus scit. Vnde testes nostri, nuper examinati, si miraculum ab expulsione infidelium ex Hispania cessauit, non nisi falso poterant de visu, de tali miraculo deponere, potuerunt tamen veri de publica voce & fama, & traditione à maioribus accepta, & quasi per manus vsque ad illos deducta.

OPPOSITIO
Sexta.

Historici sunt moderni.

RESPONSIO.

Libenter concedimus, antiquos Hispanos potius ad strenua opera

exer-

exercenda, quàm ad illa conscribenda, manus admouisse, & fatemur nos propriis historiographis carere antiquis, vel saltim vnum, aut alterum habere, qui res nostras decantarent, exteri vero authores, licet quædam, pauca tamen nostra in suis scriptis obiter & truncate texuerunt: neque nostra nisi à nostris & quos habemus, petenda sunt. Ex quibus celebris est chronica generalis Hispaniæ, ab hinc fere quadringentis elapsis retro annis, iussu & industria catholici Regis Alfonsi, qui sapientis cognomen, cum vere sapiens esset, adeptus fuit, ex antiquis scriptis & annalibus concinata: quæ sanctos istos & Monachos, & Martyres & in dicto monasterio sepultos fuisse affirmat. Cæteri authores, de quibus in processu, licet moderni graues tamen & docti,

docti, & in inuestiganda veritatē, etiam tenebris longissimi temporis obnubilata, studiosissimi, & tanti numero, quod præponendi essent vni vel duobus antiquis, & cū non inueniatur aliquid in contrariū, & omnia consona sint, non est cur tantis & doctissimis viris fides adhibēda non sit, etiam si de præteritis, & antiquis affirment. Nec scrupulum inijcit quod sanctus Eulogius, in scribendis Sanctorum gestis, qui sub ista persecutione Arabica, passi sunt diligentissimus author horum martyrum Caradignæ non meminerit, in promptu enim est causa, iste namq; gloriosus Christi Athleta, solum conscripsit certamina illorum qui Cordubæ, vbi ipse ferreis Tyranni vinculis ligatus custodiebatur, passi sunt. Præterea cum ipse coronam martyrij adeptus sit,

ſub anno octingenteſimo quinquageſimo octauo, vel vt alij volunt, octingenteſimo ſexageſimo non potuit hiſtoriam noſtrorum Sanctorum texere, qui laureolam ſuſceperunt ſub anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, niſi ſpiritu prophetico futura præuidiſſet. Quod vero Lucius Marinæus, qui res Hiſpanicas ex profeſſo deſcripſit, nihil de iſtis Sanctis dicat, nihil mirum, multa enim ſunt, quæ ad eius notitiam non peruenere, maxime cum extraneus & Siculus eſſet, & forſam obiter Hiſpaniam viderit, & ſi peruenere, conſulto aut alia ex cauſa, multa ſcitu digniſſima prætermiſit. Sed neque ex eo, quod in Romano Martyrologio deſcripti non ſint, firmum deſummi poteſt argumentum, non enim in eo omnes martyres & ſancti numerati ſunt.

Nam ipsi martyres, ait Gregorius, *Deo innumerabiles; nobis super arenam multiplicati sunt, quia quot sint, à nobis comprehendi non possunt; nouit enim tamen illos, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et Beda super illud: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via*, *Plurima hic turba*, inquit, *innumerabilem martyrum designat exercitum*. Greg. homil. 27. Bed. Matth. 21.

OPPOSITIO
Septima.

Et inscriptio illius lapidis antiquæ nullam facit mentionem de martyrio, sed tantum, quod per Regem Zepham fuerunt interfecti ducenti monachi de grege Domini.

RESPONSIO.

Petit hæc oppoſitio à nobis quid ſit, interfeci aliquem de grege Domini? pro cuius reſponſione, & intelligentia reminiſci oportet, gregem nihil aliud eſſe, quàm minutorum animalium congregationem, & communiter in ſacris litteris pro ouibus ſumi, & in lingua Sancta idem nomen צאן Tſon, quod collectiuum eſt, & gregem, & oues ſignificare Zacharia nono. *Saluauit eos tanquam gregem*, alia lectio, quaſi oues. Et fere ſemper in Pſalmis vbi Vulgata noſtra habet oues, ſãctus Hieronymus vertit gregem, vt Pſalmo quadrageſimo tertio. *Sicut oues occiſionis.* Pſalmo quadrageſimo octauo. *Sicut oues in inferno.* Pſalmo ſeptuageſimo

tertio

tertio, & septuagesimo octauo, & nonagesimo quarto, & nonagesimo nono. aliisq; in locis, in quibus transtulit, vt grex occisionis, quasi gregem in inferno, &c. Grex vero Dei, siue ouis Dei, communiter pro electis accipi solent. Sicq; Augustinus dicit, Christum vocare oues suas electos, Et Matthæi vigesimo quinto, dicitur quod separabit oues ab hædis, idest, electos à reprobis, Et Lucæ duodecimo. *Nolite timere pusillus grex*, idest, electi. Aliquando tamen etiam Apostoli sic appellari solent, vt Matthæi decimo. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, & cap. vigesimo sexto, Dominus de illis interpretatur illud Zacha. decimo tertio. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*. Si vero alicui ex dictis nominibus iungitur alia dictio tract. 48. in Io.

perſecutionem, paſſionem, aut occiſionem denotãs, ſpecialiter de martyribus eſt intelligendum, qui admirabili modo eum Agnum ſecuti ſunt, qui per Hieremias cap. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus*, ait, *qui portatur ad victimam*. & de quo Iſa. 53. *Quaſi ouis ad occiſionem ducetur*, quiq; occiſſus eſt ab origine mundi, & in cuius ſanguine lauerũt ſtolas ſuas, vnde etiam ipſi ſtant in conſpectu

Apoc. 7. 13. eiuſdem Agni amicti ſtollis albis, & palmi in manibus eorum. Sicq; Auguſtinus illud: Pſalmi ſeptua-

Aug. pſal. 78 geſimi octaui, *Nos autem populus tuus, & oues Paſcuæ tuæ*. Voces dicit eſſe martyrũ, & ſubdit: *Oues paſcuæ tuæ, oues gregis tui, quas perſequendo illi crediderunt ſe poſſe conſumere*. &

Hier. pſ. 43 ſup. tit. Hieronymus, Pſalmum quadrageſimum tertium, intelligit pro maiori parte eſſe clamores & voces martyrum

tyrum.& glosa ibi versiculo, *Dedisti nos tanquàm oues escarum*, dicit: *Hic diuersi martyres notantur*, & Cassiodorus ait: *Esca luporum est mansueta ouium simplicitas, quæ martyribus merito comparatur, qui à persecutoribus suis occidi sine concertationibus suis acquiescunt*. Vnde etiam Propheta Regius addit: *Propter te mortificamur tota die, Estimati sumus sicut oues occisionis*, alia lectio habet, tanquam gregem ad vorandum, quod sic explicat Anselmus, *idest, Existimant nos sine respectu misericordiæ debere occidi, cum neque resistamus eis, sed in simplicitate & mansuetudine nostra innocenter mori simus parati*. Et Casiodorus vbi supra: *Propter te*, ait, *quia non moriebantur pro aliquo facinore perpetrato. Sicut oues, oues non habet arma, non cornu valet, non dente contendit aut*

Cassio.ps.43

Ans.ad Ro.8

fuga præsumit, sed manibus latronis patienter acquiescit, dum nulla se reluctatione defendit, Sic famuli Christi sicut grex, & oues æstimati sunt mori, quoniam sine contentione aliqua videbantur occidi: & de illis sancta canit Ecclesia: *Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat non querimonia.* Nec magno vacat misterio, quod Porta Vallis, vna ex præcipuis sanctæ Ciuitatis, per quam pecora in templo Domini immolanda inducebantur, & per quam primicerius Martyrum Stephanus extra ciuitatem ad martyrium eiectus fuit, Porta gregis appellaretur. Et propheta Micheas templum Domini alloquitur, dicens: *Et tu turris gregis, nebulosa filia Sion.* Vbi glosa Nicolai. *idest templum quod erat factum ad modum turris, dicitur gregis, quia in atrio*

Mich. 4.

iuxta

iuxta templum immo labantur greges in altare holocaustorum.

Ex quibus & aliis quæ adduci poterant, constat sensum inscriptionis lapidis esse, Per Regem Zepham, per inimicum & persecutorem nominis Christi, ducentos Monachos, de grege Domini fuisse occisos, idest, ducentos Dei electos: & mansuetissimas oues, à crudelissimo lupo, sicut oues occisionis æstimatas fuisse, eo solum, quod de grege Domini essent, idest, quia vocem Christi pastoris sui audiebant, & illum relictis omnibus sequebantur, quod nihil aliud sonat, quam passos fuisse pro Christo, & sic martyrij palma insignitos.

In re adeo lucida & aperta hæc vtcumq; dicta sufficiant, quia licet solutio dubitationis sit inuen- Arist. 7. ethic.

tio

tio veritatis, hic vbi veritas inuenta est, quamcunque solutionem dubiorum assignare, sufficiat. Reliqua autem ipsi veritatis luci, quæ ex se visibilis est, illustranda, & doctioris perspicacitati consideranda, relinquo, quæ vero minus apte dixi omnium correctioni submitto. Sit per omnia Deus benedictus, in secula. Amen.

Romæ Idibus Septembris. M. D. XCIII.

FINIS.

Vidi & legi, nihil inueni, quod sanæ doctrinæ repugnet imo quod religiosam, piam & eruditam doctrinam non contineat. Vnde poterit in commu-

mune vtilitatem typis mandari. Romæ in conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam. 19. Auguſti. M. D. XCIV.

Fr. Io. Vincent. Proc. Ord. S. Dominici. manu propria.

Imprimatur.

F. P. Io. Saragoça Magiſtri & ſoc. R. P. M. Sacri Palatij.

Imprimatur

M. Ant. Viceſgerens.

ROMAE,

Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini. 1594.

ſub anno octingenteſimo quinquageſimo octauo, vel vt alij volunt, octingenteſimo ſexageſimo non potuit hiſtoriam noſtrorum Sanctorum texere, qui laureolam ſuſceperunt ſub anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, niſi ſpiritu prophetico futura præuidiſſet. Quod vero Lucius Marinæus, qui res Hiſpanicas ex profeſſo deſcripſit, nihil de iſtis Sanctis dicat, nihil mirum, multa enim ſunt, quæ ad eius notitiam non peruenere, maxime cum extraneus & Siculus eſſet, & forſam obiter Hiſpaniam viderit, & ſi peruenere, conſulto aut alia ex cauſa, multa ſcitu digniſſima prætermiſit. Sed neque ex eo, quod in Romano Martyrologio deſcripti non ſint, firmum deſummi poteſt argumentum, non enim in eo omnes martyres & ſancti numerati ſunt.

Nam

Nam ipsi martyres, ait Gregorius, *Deo innumerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quot sint, à nobis comprehendi non possunt; nouit enim tamen illos, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et Beda super illud: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via*, *Plurima hic turba*, inquit, *innumerabilem martyrum designat exercitum.* Greg. homil. 27. Bed. Matth. 21.

OPPOSITIO Septima.

Et inscriptio illius lapidis antiquæ nullam facit mentionem de martyrio, sed tantum, quod per Regem Zepham fuerunt interfecti ducenti monachi de grege Domini.

tertio, & ſeptuageſimo octauo, & nonageſimo quarto, & nonageſimo nono. aliisq; in locis, in quibus tranſtulit, vt grex occiſionis, quaſi gregem in inferno, &c. Grex vero Dei, ſiue ouis Dei, communiter pro electis accipi ſolent. Sicq; Auguſtinus dicit, Chriſtum vocare oues ſuas electos, Et Matthæi vigeſimo quinto, dicitur quod ſeparabit oues ab hædis, ideſt, electos à reprobis, Et Lucæ duodecimo. *Nolite timere puſillus grex*, ideſt, electi. Aliquando tamen etiam Apoſtoli ſic appellari ſolent, vt Matthæi decimo. *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum*, & cap. vigeſimo ſexto, Dominus de illis interpretatur illud Zacha. decimo tertio. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis*. Si vero alicui ex dictis nominibus iungitur alia dictio

tract. 48. in Io.

persecutionem, passionem, aut occisionem denotãs, specialiter de martyribus est intelligendum, qui admirabili modo eum Agnum secuti sunt, qui per Hieremias cap. 11. *Ego quasi agnus mansuetus*, ait, *qui portatur ad victimam.* & de quo Isa. 53. *Quasi ouis ad occisionem ducetur*, quiq; occissus est ab origine mundi, & in cuius sanguine lauerũt stolas suas, vnde etiam ipsi stant in conspectu
Apoc. 7. 13. eiusdem Agni amicti stollis albis, & palmi in manibus eorum. Sicq;
Aug. psal. 78 Augustinus illud: Psalmi septuagesimi octaui, *Nos autem populus tuus, & oues Pascuæ tuæ*. Voces dicit esse martyrũ, & subdit: *Oues pascuæ tuæ, oues gregis tui, quas persequendo illi crediderunt se posse consumere.* &
Hier. ps. 43 sup. tit. Hieronymus, Psalmum quadragesimum tertium, intelligit pro maiori parte esse clamores & voces martyrum

tyrum.& glosa ibi versiculo, *Dedisti nos tanquàm oues escarum*, dicit: *Hic diuersi martyres notantur*, & Cassiodorus ait: *Esca luporum est mansueta ouium simplicitas, quæ martyribus merito comparatur, qui à persecutoribus suis occidi sine concertationibus suis acquiescunt*. Vnde etiam Propheta Regius addit: *Propter te mortificamur tota die, Estimati sumus sicut oues occisionis*, alia lectio habet,tanquam gregem ad vorandum, quod sic explicat Anselmus, *idest, Existimant nos sine respectu misericordiæ debere occidi, cum neque resistamus eis, sed in simplicitate & mansuetudine nostra innocenter mori simus parati*. Et Casiodorus vbi supra: *Propter te*, ait, *quia non moriebantur pro aliquo facinore perpetrato. Sicut oues, oues non habet arma, non cornu valet, non dente contendit aut*

Cassio.ps.43

Ans.ad Ro.8

fugâ præsumit, sed manibus latronis patienter acquiescit, dum nulla se reluctatione defendit, Sic famuli Christi sicut grex, & oues æstimati sunt mori, quoniam sine contentione aliqua videbantur occidi: & de illis sancta canit Ecclesia: *Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat non querimonia.* Nec magno vacat misterio, quod Porta Vallis, vna ex præcipuis sanctæ Ciuitatis, per quam pecora in templo Domini immolanda inducebantur, & per quam primicerius Martyrum Stephanus extra ciuitatem ad martyrium eiectus fuit, Porta gregis appellaretur. Et propheta Micheas templum Domini alloquitur, di-
Mich. 4. cens: *Et tu turris gregis, nebulosa filia Sion.* Vbi glosa Nicolai. *idest templum quod erat factum ad modum turris, dicitur gregis, quia in atrio*

iuxta

iuxta templum immo labantur greges in altare holocaustorum.

Ex quibus & aliis quæ adduci poterant, constat sensum inscriptionis lapidis esse, Per Regem Zepham, per inimicum & persecutorem nominis Christi, ducentos Monachos, de grege Domini fuisse occisos, idest, ducentos Dei electos: & mansuetissimas oues, à crudelissimo lupo, sicut oues occisionis æstimatas fuisse, eo solum, quod de grege Domini essent, idest, quia vocem Christi pastoris sui audiebant, & illum relictis omnibus sequebantur, quod nihil aliud sonat, quam passos fuisse pro Christo, & sic martyrij palma insignitos.

In re adeo lucida & aperta hæc vtcumq; dicta sufficiant, quia licet solutio dubitationis sit inuen- Arist. 7. ethic.

tio veritatis, hic vbi veritas inuenta est, quamcunque solutionem dubiorum assignare, sufficiat. Reliqua autem ipsi veritatis luci, quæ ex se visibilis est, illustranda, & doctioris perspicacitati consideranda, relinquo, quæ vero minus apte dixi omnium correctioni submitto. Sit per omnia Deus benedictus, in secula. Amen.

Romæ Idibus Septembris. M. D. XCIII.

FINIS.

Vidi & legi, nihil inueni, quod sanæ doctrinæ repugnet imo quod religiosam, piam & eruditam doctrinam non contineat. Vnde poterit in commu-

mune vtilitatem typis mandari. Romæ in conuentu sanctæ Mariæ super Mineruam. 19. Augusti. M. D. XCIV.

Fr. Io. Vincent. Proc. Ord. S. Dominici. manu propria.

Imprimatur.

F. P. Io. Saragoça Magistri & soc. R. P. M. Sacri Palatij.

Imprimatur

M. Ant. Vicesgerens.

ROMAE,

Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini. 1594.